DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

PLEURITIDE,

QUAM,
DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
HIERONYMI VAN ALPHEN,
S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris Ordinarii.
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,
Eruditorum Examini ſubjicit
JOHANNES GISBERTUS VAN VIANEN,
Wourda Batav.
Ad diem 11. OCTOB., *loco horisque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi. cIↄ Iↄ CCXVII.

Docto & plurimum reverendo

VIRO

D. DOMINICO à VIANEN,

Eccleſiæ quæ Chriſto in civitate Wourdenſi colligitur Paſtori vigilantiſſimo, Oraculorum divinorum Interpreti fideliſſimo, Orthodoxæ veritatis & Pietatis Propugnatori indefeſſo, Parenti ſuo dilectiſſimo, ſtudiorum ſuorum Mæcenati unico, ad extremum vitæ halitum omni filiali amore ac honore venerando.

Hanc Diſputationem Inauguralem
offert & conſecrat

JOH. GISB. à VIANEN.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PLEURITIDE.

THESIS I.

Inter innumeras, quibus mortalis homo obnoxius eſt, calamitates atque miſerias haud infimum locum tenere mihi videtur Pleuritis, de qua hac diſſertatione pro themate inaugurali agere in animum induxi.

II. Pleuritidis vox, uti multa ex ſchola Medicorum nomina, a Græcis originem ducens derivatur a voce πλεύρα Latinis *latus*, unde interior thoracem inveſtiens membrana nomen ſuum acquiſivit, ſicque a corporis parte, quæ magis patitur, hic morbus nomen ſumpſit. *Telum* etiam apud quoſdam vocatur, quia teli inſtar membranam pungit.

III. Pleuritis eſt inflammatio membranæ pleuræ, muſculorumque intercoſtalium cum dolore thoracis punctorio, ſumma reſpirationis difficultate, febre acuta continua, pulſu duro & plerumque tuſſi comite ac ſæpe genarum rubore. Belg. *zyde wee.*

IV. Dixi Pleuritidem eſſe *inflammationem membranæ pleuræ*, quod patet ex dolore, difficili reſpiratione, tumore, renitentia, & rubedine in pectoris ſcil. cavitate, quæ poſt cadaveris apertionem in conſpectum veniunt, imo aliquando extrorſum vergunt, quæ omnia ad inflammationis naturam requiruntur.

In definitione porro occurrit quod ſit *Dolor lateris punctorius*, qui aliquando utrumque latus ſimul afficit & oritur a ſanguine membranam pleuram muſculoſque intercoſtales acrimonia ſua vellicante, diſtendente & tandem diſrumpente in parte valde ſenſibili, minorque dolor iſte obſervatur in exſpiratione & animæ retentione quam in inſpiratione, & major vel minor exiſtit prout major vel minor aëris copia una vice admittitur, ſicque

membrana ſenſu exquiſitiſſimo prædita magis vel minus extenditur, ac dolorifica ſenſatione afficitur.

Summa reſpirandi difficultas, quæ ordinario celer, frequens & parva obſervatur: iſta difficultas originem ducit a pleura ob inflammationem cedere neſciente unde Pulmones libere extendi nequeunt, nec ſufficiens aëris quantitas admitti unde continuo hanc membranam inflammatam feriunt; oritur quoque quia omnes muſculi inſpirationi inſervientes debite officio ſuo fungi non poſſunt.

Febris acuta continua, ita ut non ſint ἀπυρέτοι, quæ oritur ex ſanguine ob ſtagnationem in craſi ſua læſa acriorique facta ſicque ſanguinis efferveſcentiam præternaturalem producente & maſſam ſanguineam turbante, multaſque functiones lædente, & plerumque tempore veſpertino exacerbeſcit.

Pulſus durus, propter nimiam criſpaturam partium membranoſarum, non tantum durus ſed etiam fortis & celer ob febris præſentiam; obſervavit tamen ſæpius Baglivus lib. 1. cap. 9. de Pleuritide p. 84. pulſum intermittentem & quidem ſine periculo, non obſtante tamen hoc pulſu bis terve Venæ ſectionem celebrari imperavit.

Plerumque tuſſis, quia in omni Pleuritide non obſervatur, nempe quando levior exiſtit morbus, ea autem oritur quia pulmones munere ſuo libere fungi nequeunt propter membranæ inflammationem, ſicque irritantur; ab initio tuſſis fere ſicca, quæ mox humida evadit, ac ex loco affecto ſputa flavedine tincta poſtea ſæpiſſime ſanguine colorata, dein matura inflammatione purulenta obſervantur.

V. Ordo jam nos monet, ut illæ partes, huic morbo maxime obnoxiæ, perluſtrentur; eſtque membrana pleura, muſculique intercoſtales, quibus annectitur; hæc membrana totam pectoris cavitatem inveſtit, pericardium ac mediaſtinum conſtituit, ſicque thorax in duas diſtinctas notabiles diſpeſcitur cavitates, quæ membrana valida denſaque eſt, licet valde tenuis, tamen duplex exiſtit, interior lamella pulmones reſpiciens valde glabra eſt, ne pulmones in inſpirando exſpirandoque quid detrimenti caperent, exterior lamella aſpera eſt, coſtis, ſterno, intercoſtalibuſque muſculis annectitur; in graviori Pleuritide plerumque pulmones afficiuntur, experientia hoc ſatis probante & ſectione anatomica docente, hoc viſcus fibris ſuis ſæpe membranæ pleuræ adhærere, quod Cl. Prof. Leuſden Anatomicus dexterrimus Præceptor meus honorandus non ſemel in cadavere oſtendit: in vera Pleuritide ac ſolitaria, quæ non admodum fre-

quens

quens membranam pleuram ſolummodo affici ex dolore liquet, qui in hoc morbo punctorius eſt, & affectis pulmonibus obtuſus exiſtit.

VI. Cauſa, quæ hic culpanda eſt, & proxima dicitur, eſt ſanguis tenax ad coagulum ob nimium acorem pronus, ſeu ſtagnans ob lentorem in vaſculis arterioſis & lymphaticis per membranam pleuram vel intra ejus duplicaturam reptantibus (dico in vaſculis arterioſis quia ſanguis ex centro ad circumferentiam per iſta vaſa fertur, & ex anguſto ad anguſtum tendit; Sanguinem eſſe ſtagnantem ex colore rubro, globuliſque ſanguineis ibidem hærentibus & inflammatione probatur) qui ſanguis ſtagnans tunc obſtructionem parit, ejuſque progreſſus impeditur, ſicque ſtagnando humores incraſſeſcunt, acidiores fiunt & tandem iſta ſymptomata oboriuntur; Venas autem in hoc morbo non tam facile affici poſſe ex earum conformatione & ex ſanguine tardius in iis moto patet.

VII. Remotiores cauſæ multiplices exiſtunt, inter quas in genere enumerantur omnia quæ ſanguinis per dicta minima vaſcula progreſſum impedire valeant, aut ſtagnationem inducere queant: in ſpecie plethora ob nimiam ſanguinis copiam quia progreſſivus ejus motus inhibetur, humorumque circulus ob nimiam fibrarum muſcularium diſtenſionem ſuſpenditur, unde ſanguinis & humorum reliquorum ſtagnationes & in minimis canaliculis arterioſis obſtructiones producuntur; vel etiam a ſanguinis Orgaſmo quando ſcil. ſanguis nimis velociter magnoque cum æſtu per iſta vaſcula feratur, unde tunc facile obſtructio & diſtentio oriri poteſt: Acidum etiam inter remotiores cauſas enumerandum eſſe ex hiſce patet, dum Pleuritide laborantium ſanguis per venæ ſectionem detractus grumeſcat, ac quaſi coagulatur, & inſtar gelatinæ lenteſcit, ſicque ſanguini præ craſſitie liber progreſſivus motus denegatur, præcipue in tenerrimis hiſce vaſculis uti oſtendit Dolæus in Encycloped. Med. theor. pract. lib. II. de pleuritide; hic quoque referri poteſt Hippocr. ſect. 6. aphor. 33. *Acidum ructantes non admodum Pleuritici fiunt.* Acidum etiam notum fuit Helmontio & Williſio cap. 16. de Febrib. dicenti *Quadam acidiuſcula cujus ratione, dum ipſe febriliter efferveſcat, ejus particulæ quadam acore perfuſæ, in hoc aut iſto loco congelationem, inſtar lactis aceſcentis, proinde coagulati ſubeunt* &c. & cap. I. de febrib. idem auctor ait *Quemadmodum vero ſanguis vaſis emiſſus coagulatione & partium ab invicem diſceſſu, lactis gelati varias ſubſtantias imitatur, ita nonnunquam in venis & arteriis concluſus, inſtar ejuſdem coagulo perfuſi a cauſis morbificis parem omnino mutationem ſubit; ob quam in circuitu præpeditus aut alicubi congelatus juxtaque portiones defixus,*

plures affectus producit: videtur enim quod hinc Pleuritis, Angina &c. originem ducunt. Subita mutatio caloris in frigus; Potus frigidi magna in copia aſſumptio ſcil. corpore valde calente; Impedimentum inſenſibilis tranſpirationis; Exercitia vehementiora & inſueta; Vini, ſpirituum aut ardentium potus nimii; Evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ, hæmorrhoidum nempe, menſium vel hæmorrhagiæ narium; additque Sennertus lib. 11. part. 2. cap. 16. de Pleuritide *Evacuationes humorum vitioſorum, qui ad articulos depelli vel per ulcera inveterata evacuari ſolent & alvi fluxus intempeſtivam detentionem, ſic & Dyſenteriam intempeſtive ſuppreſſam.* Flatus ſæpe originem ex flatulentorum aſſumptione ducentes inter membranam & muſculos meſopleurios diſtentionem vel divellicationem cauſantes: ſæpe quoque aëris conſtitutio (ut Hippocr. animadvertit aphor. 5. ſ. 5. *Si vero aquilonium fuit tempus, fauces aſperæ, tuſſes, alvi duræ, urinæ difficultates, horrores, dolores coſtarum, pectorum*) & anni tempus multum faciunt ut idem Senex ſect. 3. aph. 23. *Hyeme vero Pleuritides, Peripneumoniæ, Lethargi, gravedines,* &c. quod etiam annotat Latinus Hippocrates Celſus nempe lib. 2. cap. 1.

Inter cauſas remotiores etiam enumerari poteſt Ictus, Caſus, Contuſiones, Lateris imbecillitas uti habet Fernelius Patholog. lib. 5. cap. 11. de morbis thorac. Williſius inter illas cauſas tales enumerat, quibus a conſtitutione ſua (ſcil. quando muſculi thoraci incumbentes nimium anguſtati vel obſtructi ſunt vel vitioſa conformatione debiles, unde ſanguis in ſuo rapido progreſſu impeditur, ita tamen ut particulis volatilioribus tranſitus quidem cancedatur, craſſioribus autem denegetur) aut conſuetudine hic morbus admodum familiaris exiſtat, ut videri poteſt in ejus libro de Medicament. Operat. part. 2. ſect. 1. cap. 9. Humores ſeroſi vel pituitoſi intra membranam pleuram vel muſculos intercoſtales hærentes, ibidemque dolorem obtuſum & reſpirationem difficilem producentes.

Platerus libr. de Pector. dolor. cap. 10. addit illa *quæ ſanguinem ad pectus alliciunt: ut in ea muliere, quæ jam ſeneſcens cum concepiſſet, creſcentibus mammis, quæ flaccidæ erant, affluenteque eo, ad lactis generationem, ſanguine, in Pleuritidem incidit,* & teſtatur idem Auctor ſe hoc in aliquibus mulieribus gravidis obſervaſſe, præſertim verno tempore: Pleuritidem a lumbricis ortam notat Riverius obſerv. centur. 1. obſerv. 75.

VIII. Hujus morbi differentiæ multæ enumerantur & quidem Pleuritis eſt vel *Idiopatica* vel *Sympatica,* Illa quando membrana pleura ipſa afficiatur & tunc *Vera* exiſtit; Hæc quando malum in muſculis intercoſtalibus

bus

bus hæret, tuncque *Spuria* vocatur, dolorque magis vagus obſervatur & diſtenſivus, nec febris adeſt vel ſaltem non adeo acuta quam in vera, ægrotantes etiam in ſpuria melius ſe habent decumbentes in latus oppoſitum quam in affectum, cujus contrarium in vera Pleuritide obſervatur; in ſpuria dolor quoque tactu ac preſſu ſæpe exacerbeſcit.

Dividitur porro in *Lateralem*, *Anticam*, & *Poſticam*, quarum mentionem faciunt Hippocr. lib. 3. de morb. & Barbette prax. Med. lib. 3. cap. de Pleuritide monens quod *interdum pleura inflammatur in dorſo circa diaphragma & ab incautis ſummo ægrorum damno pro dolore Nephritico habetur*, videatur etiam Sylvius Caſ. Medicin. 85. adeo ut non ſemper ſecundum Nonnullorum placitum latus ſiniſtrum ſolummodo afficiatur.

Diſtinguitur porro in *Aſcendentem* & *Deſcendentem*. Illa vaſa mutuat a trunco arteriæ magnæ ſive aortæ aſcendente, quæ plerumque ad tertiam quartamve coſtam enumerando ſcil. a ſuperioribus ſeſe extendit, Hæc vero ramos accipit ab arteria aorta deſcendente quæ frequentiſſima obſervatur, altera vero rariſſima ac a quibusdam Medicis vix viſa eſt.

Notatu quoque digna eſt differentia in *Siccam* & *Humidam* Hippocr. lib. 1. de ration. vict. acut. text. 21. 23. Sicca eſt in qua nihil expuitur vel ſaltem parum & hoc non ſolummodo in morbi principio verum etiam in ejus progreſſu, quæ ſpecies periculoſiſſima exiſtit; Humida in qua ſputa a morbi initio prodire incipiunt, quod etiam Senex Cous obſervavit aphor. 12. ſ. 1. *Velut in Pleuritide laborantibus, ſi ſputum ſtatim appareat inter initia ipſum abbreviat, ſi vero poſtea appareat, morbum producit.*

Pleuritis quoque eſt *Solitaria* vel *Complicata* quando alii morbi concomitantur: datur porro Pleuritis *Epidemica* ut teſtatur Schenkius lib. 20. obſerv. illam dependere ab aëris conſtitutione & corpuſculis in aëre volitantibus veroſimile quidem videtur, inſpiciantur etiam Baglivus cap. 3. §. 1. de uſu veſicantium pag. m. 396. Seydenham cap. 5. pag. m. 305. & Cl. Dekker Practicus expertiſſimus Præceptor meus facillimus in ſuis exercitat. pract. pag. m. 305. circa purgantia, ubi inquit *Anno* 1685. 1686. *hiſce in Regionibus ſeptentrionalibus variæ Pleuritides veræ ſed pauciores, ſpuriæ ſeu nothæ autumno vero & hyeme plurimæ exortæ fuere; quarum nonnullas tamen in principio pleuritides eſſe a plurimis practicis negabatur, quia ſigna pleuritidis vulga diagnoſtica non obſervabantur.*

IX. Priusquam in deſcribendis hujus morbi ſignis diagnoſticis pergo, videamus diſtinctiones quasdam, quibus dignoſcitur ab iis morbis, quibuſcum aliquam convenientiam & ſimilitudinem habet. Differt itaque a Peri-

Peripneumonia, in qua ſolummodo Pulmo afficitur, in Pleuritide pulmo tantum per conſenſum læditur, tuncque hic morbus aliam accipit denominationem; in illa dolor eſt gravativus, non adeo acutus & in media pectoris cavitate percipitur, pulſus quoque non eſt durus ſed laxus, major etiam reſpirandi difficultas adeſt, ita ut ægri ſæpe erecta cervice & cum pinnarum narium expanſione reſpirare cogantur, in hac vero dolor & punctorius, & reſpiratio crebra & parva obſervatur. Sputa etiam in Pleuritide non tam cito proveniunt quam in Peripneumonia & in hac ſunt copioſiora: Peripneumonia periculoſior quoque exiſtit Pleuritide, ſæpiſſime tamen hi morbi conjuncti obſervantur, ut videri poſſit apud Hippocr. aphor. 11. ſ. 7. tanta enim inter hos morbos eſt affinitas, ut ſæpius alter modo huic, modo ille alteri ſuperveniat.

X. Differt etiam ab Inflammatione Diaphragmatis, nam in hac dolor non in latere hoc illove, ſed circa diaphragma in extrema coſtarum ad finem oſſis ſterni obſervatur, ac inſtar cinguli thoracem ambit; in Pleuritide dolor in latere vel in alia thoracis parte percipitur; in Paraphrenitide reſpiratio eſt vel crebra & celeriter repitata cum inſpiratione quaſi interdum duplicata, vel anheloſa aliquando cum ſuſpiriis & longis intervallis: in Paraphrenitide porro delirium concomitetur; quidam notant reſpirationem in Pleuritide ope muſculorum abdominis perfici quieſcentibus illis thoracis, & in Paraphrenitide contrarium eſſe.

XI. Diſtinguitur quoque ab Hepatis inflammatione ubi dolor circa dextrum Hypochondrium obſervatur in regione hepatis, nec in Hepatitide dolor punctorius ſed gravans exiſtit, tumorque ſæpe infra coſtas ſpurias notatur, tuſſis ſicca eſt atque minor, nec reſpiratio ſemper adeſt tam difficilis quam in Pleuritide, quia ordinario thorax pro lubitu ad omnes partes expandi ac ampliari queat.

XII. De Signis Diagnoſticis hic multa adferre non opus eſſe videtur, quia illa ex definitione hujus morbi ſatis colligi queant, ac præter ea nulla fere dantur, quæ alicujus ſunt momenti, attamen ſilentio præterire nequeo illud Baglivi de Diagnoſi pleuritidum occultarum, quæ verba notari merentur & exſtant lib. 1. cap. 9. de Pleuritide *Pleuritides* inquit, *frequenter ſunt occultæ, quia indolentes, unde errores graviſſimi in praxi ſuccedunt, ut hi in poſterum vitentur ſcopuli, ſignum dabimus latentes & indolentes Pleuritides manifeſtandi: Fac ut æger in dextrum vel ſiniſtrum latus decumbat, decumbenti impera, ut fortiter reſpiret & tuſſiat, finita una alterave reſpiratione, pete ab illo an inter reſpirandum & tuſſiendum dolorem aut gravedinem alicubi*

in

in pectore perſentiat, quod ſi affirmet, pro certo habeto Pleuritidis ſedem illic eſſe, ubi dolorem aut gravedinem indicaverit: hujus ſigni certitudine plures deteximus occultas Pleuritides, magno ægrotantium commodo.

Quamvis pulſus durus inter ſigna pathognomonica ponitur, illum ſemper non ita adeſſe, obſervavit Baglivus ſcil. pulſum intermittentem ut §. 4. diximus, & idem Auctor de fibra motrice lib. 1. ait, *ſe in pluribus ægris Pleuritide laborantibus obſervaſſe ſæpe pulſum manus poſitæ a latere partis affectæ ſemper fere eſſe parvum & exiguum.*

XIII. Priusquam ad Prognoſin tranſeamus, illi maxime huic morbo obnoxii videantur: Seydenham prax. med. ſect. 6. cap. 3. de Pleuritide notat quod hic morbus *temperamento ſanguineo præditos præ reliquis aggreditur, ſæpe etiam ruſticos & duro jam fractos membra labore:* Ordinario adulti (Hippocr. ſect. 3. aph. 30. notat, dicens *Ultra hanc ætatem* (ſcil. juvenilem) *vero progreſſis Aſthmata, Pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides* &c.) & quidem viri præ mulieribus afficiuntur, ut & homines valde incaleſcentes, & ſæpiſſime ſudore diffluentes, ſubito hac illave cauſa aërem frigidum haurientes. Quo anni tempore hic morbus maxime graſſatur, tempus vernale & autumnale eſſe dicitur, quando aëris ſubitæ mutationes obſervantur, ut §. 7. diximus.

XIV. Prognoſis ordine jam ſequitur & breviter iſtam perluſtremus; Pleuritis eſt morbus periculoſiſſimus & acutiſſimus, ideoque in genere nil boni prædici debet, cum plures intereant, itaque conditionalis eſſe oportet ſecundum Hippocr. monitum aph. 19. ſect. 2. *Acutorum morborum non omnino ſunt tutæ prædictiones, neque mortis neque ſanitatis.* Si vero Peripneumonia pleuritidi ſuperveniat, malum pronuntiat Cous ſect. 7. aphor. 11. In ſenibus, mulieribus, puerperis, gravidis ac debilibus, periculoſus eſt morbus; uti & Pleuritis Epidemica, tamen bonus corporis habitus, vires, juventus, robuſtum temperamentum, ſalutis ſpem portendunt: Prout autem reſpiratio difficilior vel levior eſt, febris vel magis vel minus acuta, pulſus magis vel minus durus eo morbus magis vel minus periculoſus obſervatur: Si ſedentes & erecto capite reſpirare cogantur ægri periculoſiſſimus is eſt ſtatus & pene lethalis. Dolæus & Sennertus lib. 2. part. 2. cap. 16. de pleurit. ex Galeno de præſag. ex pulſu cap. 5. notat *Quod maximum indicium exitialis pleuritidis eſt, ſi pulſus ſummopere durus ſit, & præterea parvus atque ob calorem frequentiſſimus: pleuritis enim cum tali pulſu nullus ſanatus fuit.* Hipp. ſect. 5. aphor. 8. legi meretur, ubi dicit *Qui pleuritici facti non repurgantur ſuperne in quatuordecim diebus, his*

in ſuppurationem convertitur. Tuncque pergit idem aphor. 15. ejusdem ſect. *Qui ex pleuritide ſuppurati fiant, ſi intra quadraginta dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur ſuperne, liberantur, ſi vero minus ad tabem tranſeunt.* Quo ſputa citius apparent eo melius ut idem Senex ſect. 1. aphor. 12. & multa in ejus libris & apud alios auctores de ſputis recenſentur, quæ omnia hic adducere anguſtia hujus diſſertationis non patitur. Aretæus cap. de pleuritide habet monitum notatu dignum, quod ſilentio præterire nequeo, nempe quando ſanata eſt pleuritis & tuſſicula remanſerit, temporeque veſpertino totum corpus incaleſcere incipiat, quod illud ſignum eſt ſuppurationis aut recidivi pleuritidis. Quando alvi profluvium pleuritide ingraveſcente ſuperveniat malum pronuntiat Hippocr. ſect. 6. aphor. 16. & omnia, quæ de ſignis prognoſticis dici poſſunt, quaſi ſimul complectitur idem in aphor. 47. ſect. 4. ubi dicit *Exſcreationes in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fætidæ & bilioſæ omnes malæ: at probe ſecedentes bonæ: & eadem ratio eſt quoad alvi egeſtiones & quoad urinas; Si vero nihil ex conducentibus excernatur per hæc loca malum.*

XV. Viſis atque perſpectis ſecundum ordinem iſtis, quæ hucuſque videnda & perſpicienda erant, ſequitur tandem curatio ipſa, quæ hiſce indicationibus curativis ſatisfaciendo peragitur ſcil. ut ſanguinis ſtagnatio ſeu extravaſatio ulterius prohibeatur, obſtructiones reſolvantur, ſicque ſanguini liberior motus progreſſivus conceditur, atque ejus impetus minuatur, quæ fiunt vaſa laxantibus ac emollientibus, materiam ſtagnantem & coagulantem educentibus & priſtinæ circulationi reſtituentibus.

Ante omnia igitur venæ ſectio requiritur, ſed qua in corporis parte adhuc ſub Medicis lis eſt, & omnia argumenta pro & contra hic adferre animus non eſt, nec limites hujus diſputationis hoc permitterent: ſed ego judico (ſalva aliorum ſententia) detecta ab Harveo ſanguinis circulatione, venæſectionem revulſoriam nec derivatoriam locum habere, quoniam ſanguis æquali velocitate ac eadem preſſione ad omnes noſtri corporis partes vehitur, ſi tamen in illa parte ubi venæſectio eſt inſtituta minor preſſio obſervaretur, illa ſolummodo tamdiu permaneret, quamdiu vulnus apertum relinquatur, unde igitur colligi poteſt, perinde exiſtere ubi vena aperiatur: ſed mos jam invaluit, ut in latere affecto vena feriatur, hocque facillime, ſecundum multorum Medicorum experientia & ratione teſte ac duce arbitrium obſervari queat.

Notat Baglivus lib. 1. cap. 9. de Pleuritide (quod hic adferre operæ prætium eſt) cruſtam albam in ſanguinis extracti ſuperficiem apparere debere

bere & ſine illa venæſectionem nullum levamen adferre, ut illi retulit amicus Lancifius, dicens *In Pleuritide, Peripneumonia, & hujuſmodi inflammatoriis pulmonum morbis, ſi in ſanguine e vena ſecta extracto non appareat in ſuperficie cruſta alba, quæ neceſſario apparere debet, peſſimum; materies namque illa cruſtam efficiens in pulmone remanet, eumque infarcit; unde paulo poſt creſcunt febris, inflammatio, ſpirandi difficultas, & reliqua Symptomata; ſi vero in altera ſanguinis emiſſione incipiat apparere, bonum; contra ſi in ſecunda ne quidem apparebit, abſtineto ſtatim a ſanguinis miſſione, aliter interficies ægrotantem, quia per repetitam tunc ſanguinis miſſionem, ſanguis ſpoliatur parte volatiliori, unde major eidem ad coagulationem via præbetur.*

XVI. Quænam ſanguinis quantitas eſt extrahenda, valde pro conſtitutione, ætate, ſexu, atque viribus differt: ſanguinem tamen ad notabilem quantitatem eſſe extrahendum plurimi probant auctores, ac præſtat una vice venæſectione liberaliori ſanguinem detrahere, quam partitis vicibus & parca manu, ac poſt aliquod horas viribus concedentibus, pulſu robuſto, & morbo adhucdum violenter exiſtente repeti debet, imo aliquando ſexies vel ſepties circumſtantiis illud ſuadentibus inſtituenda eſt ſcil. ſi dolor non minuatur, nec reſpiratio liberior obſervatur: quidam ad uncias undecim vel duodecim ſanguinem detrahant, ut ita morbi fomes ſubtrahatur & materia pleuræ impacta ſanguini reſorbeatur; alii ad animi deliquium & Hippocr. lib. de rat. vict. in morb. acut. pag. m. 387. ad coloris mutationem ſuadet, quamvis ego tamen tantam ſanguinis jacturam non amo; ex hiſce tamen facile colligi poteſt, magnam curationis ſpem in venæ ſectione ſitam eſſe: notat Seydenham ſect. 6. cap. 3. de pleurit. ſe raro pleuritidem confirmatam in adultis curatam vidiſſe, niſi prius circiter unciæ quadraginta ſanguinis fuerant detractæ.

In gravidis, puerperis venæſectionem inſtituere licere patet ex Platero obſerv. lib. 2. pag. m. 418. & Tulpio obſerv. lib. 2. cap. 2. qui octies venam feriri imperavit in puerpera acerbiſſima pleuritide laborante: In virginibus licet menſtruis laborantibus inſtituere oportere ex eodem liquet Auctore, ut etiam ex Burnet. theſaur. Medic. lib. 14. ſect. 30. & Sennert. lib. 5. inſtitution. part. 2. ſect. 1. cap. 17. de venæſectione: in pueris atque ſenibus huic morbo laborantibus venam ſecare licet, quod teſtatur River. cent. 2. obſ. 79. & centur. 3. obſ. 39. ſed parca manu & pro circumſtantiis, viribusque patientis: quod Tulpius obſerv. lib. 2. cap. 3. circa venæſectionem animadvertit, hic adducam ſcil. aliquando contingere, ſanguinem ex ſecta vena non prorumpere, iſto in caſu jubet ille vir, ut

ut æger valde tuſſiat, tumque ſanguis liberalius profiliet.

Quidam jactantur ſe poſſe Pleuritidem ſine venæſectione prævia inſtituta curare, ſed judico talem pleuritidem ita curatam non eſſe veram ſed ſpuriam, & ſi tamen curari poſſit, hæc methodus non ita tuta exiſtit, quam illa quæ venæ apertione peragitur, quia eſt morbus acutiſſimus, ſicque vehementi morbo ſuccurrendum eſt remedio æque vehementi.

XVII. Poſt ſanguinis miſſionem ut materia peccans porro expellatur, purgantia, ut veterum curandi methodus fuit, nequaquam in uſu ſunt vocanda, quia ſanguinem exagitant inque partem affectam adigunt, ſicque majorem in pleura obſtructionem procreant, neque vomitoria ut temerario auſu quidam ſolent, quæ corpus nimis movent, & inter vomendum vaſa abdominis nimis premuntur, unde ſanguinis circulatio impeditur, & ſanguinea vaſa ſupra diaphragmate poſita nimis comprimuntur, ac ita ſanguis verſus inferiora petere nequit, quod probari queat ex reſpiratione difficiliori facta, & rubedine genarum, quare vaſa in thorace nimis de novo iterum ſanguine turgent, unde ſæpe exacerbeſcit morbus, ſed ejus loco ſubſtituenda ſunt Enemata quia alvum blande ſubducunt & ſanguinis recrementa verſus inteſtina ſollicitant & quidem emollientia, quia aliter facile diarrhæa oriri queat, quæ ſecundum Hippocratem peſſima eſt, poſtea blande aperientia ſanguinis fervorem compeſcentia & lentorem humorum leni diaphoreſi reſolventia, diuretica, & expectorationem promoventia conveniunt, quæ liquida eſſe præſtat.

XVIII. Hic omnia medicamenta contra Pleuritidem enumerare, non opus eſſe judico, quia ſatis ſuperque apud auctores deſcripta inveniuntur, attamen quædam hic ſubnectam ut Radices bardanæ, Herba millefolii, taraxic., malva, card. bened., Cherefolium, ſcabioſa, fl. papaver. errat., ſemen urticæ, fraxini, malvæ, C. C., ſperma ceti, ocul. cancr., item omnia Teſtacea ſali alkalico prædita; Succus Taraxici, quidam oleum lini ad duo cochl. præſcribunt, pulvis, pleuritic. Mynſicht., ſtercus caballinum cum vino rhenano intus & extus pro fomento (præſertim in notha) maxime laudant, ſpir. C. C., ſal. armon., urinæ, fuliginis, nitri dulcis, aqua prophylactica Sylvii cujus deſcriptionem, vide apud Barbette lib. 3. cap. 3. de febribus, Balſamum lucatell. unguent. de althea, ol. amygdalar. dulc. pro unguento. Riverius valde extollit in morbi principio gr. 1. laud. opiat. præcipue in vigiliis ex intenſiſſimo dolore, cæterum cane pejus & angue in ſtatu hujus morbi vitentur quævis Opiata, quippe obſtructiones pertinaciores redduntur, unde Dyſpnæa augetur,

augetur, ſpiritus ſuffocantur, omniaque Symptomata funeſta evadunt: Interea Anodina blandiora tuto adhibentur ut aquæ & Syrupi papav. err., præſertim ſi vires fuerint vegetæ, pulſuſque laudabilis.

Cl. Vallan Practicus eximius Profeſſor meus & Promotor ſemper colendus valde commendat mixturam ſequentem:

℞. *Aq. flor. papav. err.*
Scabioſ. v.
Card. bened. aa. ℥ij.
Ocul. cancr.
Antim. diaphor. aa. ʒß.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. papav. err. ℥ß.
M.

Sumant ſæpius cochlear ad doloris mitigationem & levem diaphoreſin; ſæpe addit Cl. Vir. aq. prophylact. ℥ß. vel ſpirit. nitr. gtt. x. vel xij. ubi nempe æſtus major adeſt, & loco dictarum aquarum circumſtantiis hoc ſuadentibus aq. petroſelini, hyſſopi, fœneculi, ſi materia per diureſin evacuari deſideret. Dolæus maxime ſuadet tincturam antinephriticam & bezoarticam in Pleuritide ferociori & maligna lib. 2. cap. 3. deſcriptam.

Externe conveniunt linimenta ex ol. roſaceo, Empl. Ireos, de cumino quorum deſcriptio videri poteſt apud Dekker in notis ad Barbette, valde etiam laudat ſequens:

℞. *Cerot. de Cumin.*
Empl. de ſperm. ceti aa. ℥j.
Rad. Iridis florent. ʒij.
Camph. ℈ß.

malaxentur cum ol. aneth. Q. S. ad conſiſtentiam Emplaſtri parti affectæ calide imponatur, valde reſolvit; ſed hic notandum quoſdam homines Camphoram tolerare non poſſe & ex ejus uſu ſe male habere, inflammationemque exoriri poſſe, ergo debet Medicus patientem prius interrogare an ferre queat nec ne: extollit idem laudatus auctor pulverem antipleuriticum in exercitat. pag. 146. deſcriptum: Burnet theſaur. Medic. lib. 14. ſect. 30. ex Ephianio Ferdinando mirum in modum commendat decoctum tabaci in Pleuritide ad ſuppurationem tendente, cujus deſcriptionem apud dictum auctorem videri poteſt: Fomenta calide applicata optima ſunt: in tuſſi etiam optimæ ſunt Emulſiones ex ſeminibus, Card, mariæ, Amygdal., liquiritiæ &c.

XIX. Sputis jam provenientibus in illis promovendis pergendum eſt, danda decocta pectoralia ut ulterius excernantur: Si tamen ſputa ſupprimantur vel non facile excernuntur, conveniunt incidentia, & ſtimulantia, hiſce non juvantibus felici cum ſucceſſu veſicatoria tibiis vel cruribus applicat Baglivus cap. 3. §. 1. de uſu veſicantium pag. 396. cujus verba hic adducere opere prætium eſſe judico, dicit, *Obſervavi in Pleuritide ut ut præceſſerit, vel non præceſſerit ſanguinis miſſio, quandoque circa quintum vel aliis intermediis diebus apparere magnam ſpirandi & expectorandi ſputi difficultatem, quæ patientem in ſummum vitæ diſcrimen conjiciebat. Irritis aliis duo veſicantia tibiis vel cruribus admota, non ſolum expectorationem, quæ primaria criſſis eſt morborum pectorum, fere ad ſtuporem ſtatim promovebant, verum etiam & ſpirandi difficultatem leniebant cum mutatione morbi in melius. Majora dico; Quacunque die in Pleuriticis ſpirandi & excreandi ſputi difficultas ſucceſſerit, ſtatim applicanda ſunt duo veſicatoria tibiis* (quod etiam Hippocr. lib. 2. progn. 67. teſtimonia confirmat) *& ſancte fateor ex centenis ægrotantibus vix pauciſſimos obiiſſe, qui præfata methodo tractati fuere a Doctiſſimo quodam Medico in celebri Xenodochio, inde potiſſimum obſervavimus anno* 1694. *Romæ hyemali tempore, quo pleuritides epidemicæ copioſe graſſabantur, ob intenſiſſimum illius tempeſtatis frigus a copioſis nivibus ex gelu productum:* Plura qui cupit, adeat ipſum auctorem tandem ita concludentem *Nonnunquam vero poſt veſicantia in pleuritide copioſior ſuccedebat urina, atque tam prius illud quam hoc poſterius magno ægrotantis commodo.*

XX. Aliquando hic morbus in Empyema degenerat, quod patet, ſi omnia Symptomata ſecundum Hippocrat. aphor. 8. ſect. 5. poſt decimam quartam diem ſeſe extendunt, & plures ad dies extendi poſſe ſatis ex obſervationibus liquet: Empyema jam adeſſe ex hiſce cognoſci poteſt; ſi dolor, qui antea fuit punctorius, jamque fit gravativus, & quo magis dolor iſte punctorius minuatur eo magis fit gravativus, reſpiratio multo fit difficilior & brevior, patiens in latere affecto decumbens melius ſe habet quam in ſano, cujus contrarium ante diſruptionem abſceſſus obſervabatur, dum ſe movet æger de uno latere in aliud contenti humoris fluctuationem in thorace percipere poteſt, & quid grave ibi hærere obſervat, ſed omnium optimum ſignum eſt, ſi abſceſſus ad exteriora tumet, tuncque ſecundum Riverii Cent. 1. obſerv. 29. monitum non ad perfectam maturationem eſt expectandum, ſed eſt aperiendus priusquam ad interiora diſrumpit, ſi tamen in ipſa thoracis cavitate diſrumpat, illa materia bene eſt expurganda ne in tabem mutetur, Hippocr. ſect. 5. aph. 15. quod omnium optimum

optimum ſit inſtitutione paracentheſis, quibus modis, quo in loco inſtituenda eſt, hic non agam, ſed videri queant Auctores Chirurgici ut Barbette, Dolæus, Fabric. ab Aquapendente; Notandum venit omne pus non una vice eſſe extrahendum, ſed partitis vicibus, cavendo etiam ab aëre externo.

XXI. Hucuſque jam omnibus perſpectis Diæta ſola reſtat, quænam vero ſit ſervanda paucis videamus. *Aër* debet eſſe temperatus, tamen ad calidum aliquantulum vergens, vitetur ergo frigidior, qui peſſimus juxta Senem Coum frigora nempe pectori ſunt inimica. *Cibus* ſit tenuis (Hippocr. ſect. 1. aphor. 8. *Quum morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt.*) ex juſculis gallinarum, carnium, cremore hordeaceo & avenaceo, e contra omnia acida ſalſaque vitentur. *Potus* ſit decoctum ex aqua hordei, radic. liquirit. ſcorzon. aliiſque pectoralibus quidam ad æſtum thoracis compeſcendum commendant emulſiones ex amygdalis, ſeminibus frigidis cum aqua cichorei, borraginis, papaver. errat. &c. *Quies* præſtat quam *Motus* ne ſanguis de novo iterum commoveatur. *Vigiliæ* ne modum excedant; *Somnus* paulo longior in hoc morbo protrahatur. *Animi pathemata* amandentur, præſertim ira, mæror, cura, ſintque animo hilariori. Excernenda ne retineantur nec retinenda excernantur. *Alvus* reſpondeat vel arte vel natura, tamen nunquam eſt purganda, ſed quidem leniter ducenda, quia Hippocr. aph. 16. ſect. 6. Diarrhæam lethalem pronuntiat.

COROLLARIA.

I.

Anatomia totius artis Medicæ fundamentum ac baſis eſt, atque Medicina omnium artium exiſtit præſtantiſſima.

II.

Thoracico ductu obſtructo ruptove hominem brevi mori neceſſe eſt.

III.

Omnes in noſtro corpore humores a ſanguine ſeparantur.

IV.

V. S. in Medicina magni eſt æſtimanda atque in Apoplexia ſanguinea maxime prodeſt.

V.

In omni Ictero obſtructio adeſſe non videtur.

FINIS.

GELUKGROETE,

Aan den HEERE

JOH. GISB. VAN VIANEN,

Op zyn Edl. Inwydinge tot Doctor der Medicyne.

Wat Konſt wierd oit regtvaerdiger gekroond?
Als die, door konſt, het konſtgeheim vertoond,
't Welk 't kabinet van Vrou natuur bewoond,
Ten ſteun van 't leven.
Zy reekend zelf haar' afkomſt van de Zon
En Eſculaap, die 't Noodlot overwon;
En door haar' kragt weêr 't lieve leven kon
Aan doode geven.
Maar hoe verr' voert my thans myn' Digtluſt weer?
Haar' lof diend met een Adelaareveêr
En gouden inkt, op parkement van eer'
Geſchetſt, te praalen.
't Was deeze Konſt, die door haar eigen ſchoon
U had bekoort en yv'ren deê om 't loon
Van vlytigheid, en haaren Lauwerkroon
Eens te behaalen.
't Gaat wel myn Heer en Vriend! 't is U gelukt.
Die Eerkroon word thans op uw hoofd gedrukt.
Die blaêren heeft Apollo zelv' geplukt
Om U te ſieren.
Myn' Zangnimf juicht U toe, in deezen ſtaat.
Ja (zo 't na keur van haare wenſchen gaat)
Zo moet Gy als een Hollandſch' Hippocraat
Steeds zegevieren.
Ja word in konſt een tweede Machaon,
Tot 's menſchdoms nut. dus klimme uw' gloryzon
Tot zulken top, daar noit de Nyd begon
Op aan te tieren!

Dus zingt en wenſcht,
meer vriendelyk als konſtig,

JAN JAKOB de HAAN, R. G.